

VK  
1916





979.

Vk  
1916

DISSERTATIO INAUGURALIS IURIDICA  
 DE  
**T E S T A M E N T I S**  
 SOLENNIBVS INVALIDIS  
 EX STATVTORVM VRBIVM LVSATIAE  
 SVPERIORIS CONSENSV  
 Q V A M  
 ILLVSTRIS ICTORVM LIPS. ORDINIS  
 AVCTORITATE  
**PRO GRADV DOCTORIS**  
 PVBLICE  
 T V E B I T V R  
**CAROLVS GOTTLOB COMPASS**  
 BVDISSINENSIS

LIPSAE D. XVIII. NOV. A. C. N. CIOIOCCCLXII

EX OFFICINA LANGENHEMIA.



Q/K. 144,31.

19.  
2,774.





VIRO SVMME REVERENDO  
ATQVE PERILLVSTRI DOMINO  
DOMINO  
GEORGIO ERNESTO  
A GERSDORFF

DYNASTAE IN REICHENBACH, OBER ET NIEDERDORFF,  
OELISCH, RATTWITZ, MVSCHELWITZ ETC. ETC.

S. R. I. EQVITI  
POTENTISS. POL. REGI ELECT. SAX.  
A CONSILIIS INTIMIS, SVMMO  
MARCHIONATVI LVSATIAE SVPER. PRAEFECTO;  
CAPITVLI MISNENSIS DECANO, ET MERSEBVRGENSIS  
CANONICO REL. REL.

PATRONO OPTIMO  
INDVLGENTISSIMOQVE

HOC PIETATIS ET OBSERVANTIAE MONIMENTVM  
SVBMISSISSIME OFFERT  
CAROLVS GOTTLOB COMPASS.



DOMINE PERILLVSTRIS,  
DOMINE CLEMENTISSIME,

**T**anta TVORVM, DOMINE, in  
patriam atque vniuersam republ-  
icam meritorum est grauitas, tanta-  
que dignitas, vt omnes omnino ciues, quibus  
patriae et reipublicae salus curae cordique est,  
maximum TIBI debeant et officium et pieta-  
tem: idque eo magis, quo maior TVA in omnes  
et singulos est gratia atque facilitas, quae qui-  
dem meritis TVIS immortalibus ac propemo-  
dum diuinis, grauissimum pondus adiicit. Equi-  
dem ea ipsa et mihi aliquantum animi affert,  
meque adeo impellit, vt nullo modo dubitem,  
VIRO TANTI NOMINIS libellam hunc-  
ce admodum leuem EIVSQUE dignitatis am-  
plitudine

plitudine parum dignum, maxima tamen animi  
submissione offerre. Accipias ergo, DOMI-  
NE PERILLVSTRIS, hasce primitias,  
quas non nisi meae in TE pietatis testificandae  
causa, PERILLVSTRI NOMINI  
TVO inscribere ausus sum, easque apud TE  
id efficere clementissime iubeas, ut mihi in pa-  
triam nunc redituro, de TVA in me gratia at-  
que clementia persuasum esse possit: ea enim ni-  
hil optatius contingere potest

PERILLVSTRIS NOMINIS TVI

Lipſiae  
die XVIII. Nouembris  
C1010CCLXII.

OBSERVANTISSIMO CVLTORI

CAROLO GOTTL0B COMPASSIO.





D E  
T E S T A M E N T I S  
S O L E N N I B V S I N V A L I D I S  
E X S T A T V T O R V M U R B I V M L V S A T I A E  
S V P E R I O R I S C O N S E N S V .

---



§. I.

*Instituti ratio.*

**F**rustra esset multa de testamentis iuris naturalis differere cum tot eruditi homines inuictissimis argumentis satis luculenter probauerint, res nostras morte nostra fieri nullius sicque cedere occupanti. Si ergo solliciti simus de ipsa origine, sicque plerisque gentibus liberis illorum usus vel penitus incognitus vel valde restrictus, ita ex generali ciuitatum politione repetere licebit. Omnino non probabile, sed adeo certum videtur, primum inter plerasque gentes intestati successione ortam, et si vel nulli adessent, qui succedere ex agnationis sanguinis iure possent, inter quasdam gentes vel inter viuos vel mortis causa de suis rebus disponendi demum licentiam datam atque concessam fuisse. Dominiorum certitudo, quae



quae a ciuitatibus introducta huic introducto iuri suppetias ferebat, et prouti ex sua cuius reipublicae politia videbatur conueniens, modum adinuenit, statuere de bonis suis uiuum ad euenrum mortis. Hinc venit, ut quaedam gentes inter uiuos in alterum sua bona transferre possent, neque aliter possent, quam si nemo adesset, cui et spes et ius succedendi competeret. Inde erat ut inter varios populos penitus ignorarentur testamenta, relicta paciscendi aliqua licentia, quale quid antiquitus inter populares nostros obtinuit, quam causam dein perorabimus. Aliis uero populis non modo non incognita fuere testamenta, sed admodum grata imo usitatissima atque liberrimi usus. Testes sunt Romani, in quorum iuribus magnam illius partem constituunt leges atque Ictorum disceptationes de doctrina testamentorum. Nos qui solennium testamentorum in Lusatae superioris urbibus usum negaturi sumus, vix alio ordine rem recte tractabimus, nisi primum ex ipso Iure Romano generalia saltem quaedam praemittamus dein patriae iura coniungamus atque demum qualiter recefferint ipsi maiores atque Statutis peculiaria probauerint iura, monstremus.

## §. II.

### *Generalia testamentorum ex Politia Romanorum.*

Quo crebrior usus testamentorum apud Romanos fuerat, eo probabilis antiquissimis temporibus testamenta non ideo inuenta fuisse, ut quisque pro suo arbitrio suaque uoluntate sibi heredem diceret lege lata, sed ut agnationis defectum suppleret, donec tandem liberior Romanis testandi usus inualuit. Ut huic coniecturae causam addam, id inde uideatur credibile esse, partim, quod a primis temporibus sobolis procreatio et sic familiae propagatio curae fuerat, quae tamen non utriusque obtineri potuisset, si quisque sibi heredem eligere potuisset in quem sua bona libere et pro arbitrio transulisset



tulisset iisque eripisset de quorum conseruatione, quod familiae membra essent, sollicitus esse debebat, vti conicere licet ex DIONYSIO HALICARNASS. *L. IX. p. 580.* qui necessitatem prolem quaerendi eiusque causa matrimonia celebrandi antiquiori legi tribuit, quam legem BACHIVS *in Hist. Iur. p. 8.* Romulo adscribit, an recte, iam non decerno. Et cura conseruandae reipublicae, quae per ciues defendi debebat, vti que suadere hoc poterat. Dein si ad formulam illam testamentorum antiquissimam, qua in populi comitiis ferebantur, respicimus, quam sic conceptam fuisse docent, qui de antiquitate scripserunt, dummodo recte concepta est: VELITIS IUBEATIS QVIRITES, VTI LVCIVS TITIVS, LVCIO VALERIO TAM IVRE LEGEQVE HERES SIBI SIET, QVAM SI EIVS FILIVS FAMILIAS AVT PROXIMVS AGNATIVS ESSET. *caet.* Obseruamus primariam omnem hereditatis causam antiquissimis temporibus fuisse intestatam, quippe testator rogabat populum, vti vellent heredem ita succedere, ac si vel filius eius esset vel agnatus. Potior ergo fuit agnationis et fuitatis causa in successione, et inde valde probabile per abusum adeo Legum liberio rem testamenti factionem factam fuisse successu temporis atque ipsos Romanos abusos fuisse testandi licentia, quo effecerunt, vt consuetudine extensa fuerit antiquorum iurium dispositio neglecta eius ratione.

### §. III.

*An contrariae sint LL. XII. Tab.*

Equidem possem arbitrari fore quosdam, qui autoritate Decemuirorum vtantur ad reiiciendam hanc opinionem, quod potior antiquitus fuerit causa successione intestatae. Dixerant: PATERFAMILIAS VTI LEGASSIT, ITA IVS ESTO. Sed neque haec me mouent verba, vt a mea recedam sententia. Nam sicut negari nequit, sub regibus valde

B

dubium



dubium atque improbabilem esse testamentorum usum, uti recte videtur monere TREKELLIVS Tract. de Origine atque Progressu testamenti faction. apud Rom. p. 17. ita nec haec verba decemvirosum nec antiquus testandi modus contrarium videntur probare. Quis enim sibi persuadeat toties conuenisse populum in comitia, quoties quis consilium ceperit suos praetereundi ab intestato heredes, suaeque bona ad alium transferendi. Dein verba, VTI LEGASSIT, seu uti de bonis suis legem tulerit, non videntur mihi inuoluere illimitatam testandi licentiam, potius id continere verba arbitror, ut si quis heredem lege lata constituerit iure ipse pro herede habeatur, qui verborum sensus non excludit iura quae in successione potiora videbantur. Posterior aetas dein liberio rem testandi rationem adinuenit in familiae venditione illa per aes et libram. Iam non amplius legem ferebat testator, sed inter viuos ad euentum mortis videbatur sua in alterum bona transferre mancipatione, quae fieri poterat libere, cum nulla lex id prohiberet. Hoc modo effectum, ut verba LL. XII. Tabul. latiore interpretationem usu et nouo testandi modo impetrarent. Neque videtur hanc opinionem improbare locus apud CICERONEM de LLbus L. II. c. 21. in f. Maxime verba illa me videntur confirmare, ubi ait: Et est e medio iure ciuili, ut per aes et libram heredem testamenti soluant, et eodem loco res sit, quasi ea pecunia legata non esset, si is, cui legatum est, stipulatus est id ipsum, quod legatum est, ut ea pecunia exstipulatione debeatur. caet. Equidem CICERO de modo a sacrorum onere liberandi heredem disputat, at tantum tamen probat hunc modum inuentum simul ad supprimenda sacra, sicque in fraudem legum, et cum vnius effectus plures possent esse causae, mutatio illa veteris testandi ritus poterat utique simul illam continere causam, ut liberior faciliorque testantium fieret conditio.

§. IV.



## §. IV.

### *Continuatio thematis.*

Videtur itaque prima testamentorum causa in subsidium recepta, ut si non adessent qui lege i. e. ab intestato caperent, alii noua lege lata hereditatem consequerentur. Postea vero quam cepissent et exheredationes et praeteritiones eorum in testamentis suscipere, ad quos iure pertinuisset hereditas, et ratio erat, cur id lege lata fieret, scilicet, ut ius quod suis quod agnatis datum esset, lege alia ac noua lege adimerent, atque in alium transferrent. Erant haec causae civiles, quae testamenta fieri volebant in comitiis populi. Inde mihi videtur disputatio illa et controuersa causa, cuius est mentio apud CICERONEM in *Orat. Lib. I. c. 38.* an *bonorum paternorum esset exheres filius, quem pater neque heredem, neque exheredem scripsisset nominatum.* Frustra disputatum fuisse, si ea fuisset intentio Decemuirorum, ut id saltem iuris esset, quod testator voluisset, seu ut is solum heres esset, quem lege sua noua heredem nuncupauerat. Cum intestata hereditas videretur potior, atque ab intestato succedendi ius filio competeret, poterat quaestio illa moueri, an ille praeteritus filius non adhuc inter heredes esset referendus magis, cum noua lex siue testamentum eidem iura succedendi non ademisset. Venit inde, ut recepta testandi licentia aut exheredandum arbitrarentur ICti filium nominatum, aut heredem ponendum, quippe quod ius, quod ei competebar lege, non aliter, quam noua lata eripiendum erat.

## §. V.

### *Mutationes circa formam testamentorum.*

Diximus iam alium post superinductum fuisse testandi modum, qui negotium simulabat inter viuos celebratum,



tum, videlicet *per aes et libram*. An vero hoc testamentorum genere introducto, exoleuerint illa, quae ad modum Legis in comitiis fiebant? quaeritur. Negat SENCKENBERG *diff. de Testament. public. origin. Cap. II. §. 4.* Sed argumenta quibus suam probat sententiam non videntur mihi satis esse ponderosa, neque quidquam aliud dicit, quam quod resuscitata fuerint postea in testamentis Senatui insinuatis. Nunquam tamen euincet ea testamenta vere fuisse antiqua illa in comitiis condita, quamuis quaedam ratio iuris illius testamentorum poterat traducta esse ad testamenta principi oblata. Non late referam, quas mutationes passâ sit testamentorum Romanorum forma atque solennitas, quae omnia iam abunde ab doctis hominibus tractata, qui origines ceremonias et iura testamentorum descripserunt, et quae omnia excepta et explicata legi et inueniri possunt apud TREKELL. *cit. libr.* Satis est notasse post ea testamenta, quae mancipatione fiebant, et quae in venditione simulata consistebant, Praetores nouam introduxisse testamentorum speciem. Antiquitus quidem videtur ipse heres emisse simulatè seu mancipatione simulata acquisiuisse testatoris familiam; sed postea remouebatur verus heres et familiae emtor substituebatur, qui ipsam hereditatem mancipando acquirebat; vt in tabulis adhibitis scriptum erat. Alius itaque heres, alius tunc erat familiae emtor. Hic simulabat heredem, alter, qui in testamenti tabulis expressus erat, vere capiebat. Sed cum semel tabulas, in quibus descripta erat testatoris voluntas, adhibuissent, easque signassent, Praetor ad signacula testiumque signationem respexit, neglecto mancipationis ritu, vnde Praetorium testamentum origines petiit. Tandem Imperatores varia solennia Praetorio huic testamento addiderunt, sicque nouam testandi rationem paulatim introduxerunt, quo demum modo noua illa solenniaque testamenta orta, quorum solennitates atque ceri-



caerimonias describit Ius Iustinianeuum. Haec trita et dupondii adeo nota.

§. VI.

*De Testamentis principi vel iudici oblatis.*

Tandem postquam variis modis ceremoniae testamentorumque solennia essent sancita, noua testandi methodus origines cepit, scilicet cum, relictis omnibus solennitatibus, vel offerendo principi vel iudici testamento valor daretur. Origines horum testamentorum recenset SENCKENBERG *cit. diss. C. II. §. 4.* Ait: *Fallor, aut tum, ubi comitia in Senatum translata, adeoque is cum Principe in locum integri populi successit, etiam testamentorum Ius eo abiit.* An recte haec concludant, ego quidem adhuc dubito. Nondum enim probauerat Vir doctus, tempore Tiberii, quo hanc translationem comitorum in curiam factam vulgo narrant, in Comitiiis testamenta condita atque ad comitiales causas adhuc pertinuisse testamenti factionem, cum alii modi eo tempore inualuerant, quibus suam vltimam voluntatem testatores confirmabant. Quapropter cum eo tempore omnis vsus testamentorum in comitiis conditorum et ignoraretur et media iurisprudencia et vsu contrario abrogatus esset, vix in Senatum translatum fuit testamentorum ius. Non disputabimus iam, an non potuerit coram Senatu confici testamentum, sed tunc si conditum per formam SCi condendum fuisset, sed vnquam tale quidquam vel cogitasse Romanos, vel factum esse neque memini neque legi, neque probauit Vir Doctus. Nil probat SVETONII *Vir. August. c. 101.* locus, quippe testatur lectum fuisse Augusti testamentum in Senatu, non vero coram Senatu factum tanquam coram eo corpore, quod populum repraesentabat. Dein facile patebit ex mutata Reipublicae forma, Tiberium transferendo comitorum iura in curiam, nihil aliud fecisse, quam quod vice populi ceperit



Senatum rogare, qui suis suffragiis confirmaret, quae Tiberius *referret*, aut si iuste est dicere, *iuberet*, et quae quondam a populi imperio et maiestate in comitiis suffragiis iubenda fuissent. Dicam apertius Iura condidisse Tiberium suffragante Senatu, qui SCtum faciebat, quod eandem auctoritatem obtinebat ac populiscita et plebiscita quondam habuerant. Parum vel nihil intererat Tiberii, qui imperium absolutum meditabatur, sollicitum esse de priuatorum testamentis. Et quae suscepit Tiberius sua auctoritate facere atque peragere, quae olim a populo aut plebe peragebantur? Ipse Magistratus creabat, hos olim populus; quis adferat Senatui competiisse hoc ius, ob translata comitiorum iura.

## §. VII.

### *Continuatio.*

Constituic Vir Doctissimus tres species testamentorum sub Caesaribus. I. *Imperatori porrectum*. II. *Senatui aut Municipibus oblatum*. III. *Actis iudicis insertum*. Sed de eo testamento quod Senatui aut municipibus oblatum quam testamentorum speciem formauit ex *L. 19. C. de testam.* dixit CUIACIUS in *Recitat. ad Cod. h. Tit.* Antequam de testamento Principi aut iudici oblato quaedam dicamus, videamus an Comitiorum ratio in his testamentis habeatur, cum omnes negligerentur ceremoniae, an tantum publicae fidei. Conficiunt rem ipse HONORIUS ET THEODOSIVS A. A. in *l. c.* Aiunt: *Voluntates hominum audire volumus, non iubere, (vox comitialis ex formula VELITIS IUBEATIS)* Addunt causam Imperatores: *ne post sententiam nostram inhibiturum videatur commutationis arbitrium, i. e. ne vim legis perpetuae obtineat, quae a priuato sc. testatore non amplius posset mutari, cum ex regula ambulatoria esse debebat et libera morientium voluntas.* Confirmant amplius: *Cum hoc ipsum, quod per supplicationem nostris auribus intimatur,* (dixe-





(dixerant enim: *audire volumus:*) *ita demum firmum sit, si ultimum comprobetur, nec contra iudicium suum defunctus postea venisse detegatur.* Sane nihil est, vnde Imperatorem tanquam Legislatorem conspiciamus in testamento ipsi oblato, bene vero testem qui fidem publicam suam augustam interponebat, quo efficiebatur, vt reliquae solennitates alias necessariae tuto possent intermitteri atque negligi. Patent haec ex verbis *c. I. ita nec de eius vnquam successione tractabitur, qui nobis mediis, et toto iure (quod in nostris est scriniis constitutum) teste succedit.* Sicut enim in testamento quondam per aes et libram ex septem illis personis quinque populum repraesentabant, qui non *iuebant*, sed *testes* erant, vt fide populi vltima voluntas illa sustineretur: ita loco populi fidem interposuit vel imperator, vel iudex, quod genus testatorum iudici scil. oblatorum ante *L. 19. cit.* tempora iam receptum fuisse non plane improbabiliter conici potest. Coniicio ex verbis Legis, quae non dispositiua sunt, sed comparatiua potius. *Sicut ergo, inquit, securus erit, qui actis cuiuscunque iudicis aut municipum, aut auribus priuatorum mentis suae postremum publicauit iudicium: ita nec de eius vnquam successione tractabitur, qui nobis mediis et toto iure teste succedit.* Videntur confirmando testamenta principi oblata concludere a minori ad maius, quasi dixerint, cum ea testamenta, quae vel actis iudicis vel municipum insinuata valida sunt, ob publicam fidem, multo magis valebunt ea, quae cum principi oblata sint, in eius scriniis asseruantur. Saltem si penitus inspiciuntur verba, nunquam patebit ex his, hac generali Constitutione testamenta iudicis vel municipum fide firmata introducta sed approbata saltem esse. Quicquid demum sit, et quoquo tempore inualuerint testamenta iudicis autoritate suffulta, id certum est, vix antiquius existere monumentum, quam allegatam Legem Honorii et Theodosii.

## §. VIII.



## §. VIII.

*Quid antiquitus inter Germanos obseruatum.*

Possẽm penitus hunc laborem deserere, cum ea fere re-  
coquenda sunt, quae a grauioribus et doctioribus viris iam  
diu apposita sunt. At si consensus statutorum in Lusacia su-  
periori ostendendus, saltem ea adferenda erunt, sine quibus  
quae deinceps dicantur, intelligi non possunt. Est commu-  
nis opinio, testamenta in Germania antiquissimis temporibus  
penitus ignorata fuisse. Defendunt hanc opinionem præ-  
ter alios, quos iam non nomino, THOMASIVS in *Fundam.*  
*Iur. Nat. et Gent. II. cap. 10. §. 11.* SCHILTERVS in *Ex-*  
*ercit. ad 7. II. §. 14. et alibi.* BEYERVS in *Delineat. Iur.*  
*Germ. I. 1. 7.* de LVDWIG *diff. de Donation. eiusque bar-*  
*baro annexu accept. Diff. III. c. VI.* HEINECCIUS in *E-*  
*lem. Iur. Germ. Lib. II. Tit. VI.* DITHMARVS ad *Tacit.*  
*de Mor. Germ. Cap. XX.* POLACK *Systemat. Iurispr. Germ.*  
*L. II. cap. 8.* Et vix superesset ratio quicquid addere cum  
haec sententia tot eruditissimorum virorum suffragio confir-  
metur, nisi Marqu. FREHERVS *Opusc. de Legit. tutela cu-*  
*raque Palat. p. 415.* quem excitat SENCKENBERGIUS  
*cit. diff. cap. III. §. 2.* dissentiret, putans, maiores nostros  
romanas illas subtilitates ac nimiam huius gentis diligentiam in  
condendis testamentis obseruatam ignorasse, neque quousque  
liberi, forsã et agnati adfuissent, de testamentis cogitasse,  
nunquam tamen omnes vltimarum voluntatum dispositio-  
nes ignorasse. Neque multum alienus est ab hac opinione  
STRYCKIUS *de Success. ab intestat. Diff. VIII. §. 3.* et late  
prope defendit SENCKENBERGIUS *cit. loc.* qui tamen  
defendendo hanc opinionem, contrarium potius probasse vi-  
detur.

§. IX.



## §. IX.

*Examen opinionis Senckenbergii.*

Audiamus doctissimi Viri argumenta. Inuenit locum TACITI de M. G. c. XXXII. *Iura Successionum equo (alii equi) traduntur. Excipit filius non ut caetera maximus natu, sed pro ut ferox bello et melior.* Et iam addit: *Habes hic dispositionem parentum inter liberos.* At pace Viri Doctissimi ego vero eandem non video. Nam sicut nondum probata est sua quam in Taciti verbis statuit, emendatio, ut pro equi *equo* legeret, nondum apparet, etiamsi eius interpretationem, quae omnibus numeris absoluta non est, sequi vellem, a parentibus quidquam dispositum esse, quod notionem testamenti admitteret, ad quam tamen in formando controuersiae statu ante omnia confugiendum fuisse. Largus ero, interim patrem eligere potuisse ex liberis quem digniorem habuerit, quamuis nec hoc probatum sit, neque ex Taciti verbis appareat, tamen traditio illa, quam Symbolicam emendando facit, non denotat testamentum, sed pactum de succedendo, quae pactorum successoriorum iura, quantum ego memini, nemo negauerat. Dein quae de scriptura literarum Graecarum popularibus nota adducit, ut exinde Graecam Coloniā ex maioribus efformet, ne quidquam confert, ut probet testamenta tunc facta, si nec liberi, nec propinqui aessent. Post prouocat ad Danos, quos *mortis causa donasse* affirmat. Et hoc interim dabo, sed pactum tunc erit, non testamentum.

## §. X.

*Accuratioer quaestionis resutatio.*

Valde mihi videntur aberrare a vero, qui affirmant aliquid, neque tamen notiones clariores antea effecere, ex quibus omnis dubiae quaestionis decisio petenda. Si qui germaniae incolis testamenta concedunt antiquissimis, negant fo-



lennia. Sed videndum est, quae sit vera testamenti notio. Romani testantes efficiebant, vt vnus voluntas declarata obligatoria redderetur, quo reliqui, quibus iura succedendi ius concesserant, a suo iure abstinere deberent, neque eum impedire, qui illa declaratione successor dictus fuerat, in cuius arbitrio erat, an vellet succedere, cum in declaratione illa facta ipsius consensus requisitus non esset. Essentia ergo testamenti ea est, vt sola declaratio voluntatis priuati hominis tantum effectum producat eo tempore, quo desit voluntas, quantum lex, quae si posterior est, priorem tollit. Hinc adhibebatur Romanis populi autoritas, vt supra diximus, et cum id graue fieret Romanis, ne voluntas videretur obligare sola, cum existere desisset, conuentionem simulabant. At maiores nostri, si in quem sua bona transferebant, pactum, cuius natura longe aliena est a testamento, adhibebant illudque verum, non simulatam aliquam conuentionem, et non paciscebantur tantum is, qui sua in alterum transferebat bona et is, qui sibi ea acquirebat, sed si adesset, ad quos ea bona moribus pertinebant, et hi consentiebant. Nihilominus tamen inhaeret suae opinioni *Vir Doct.* atque vt vnilateralem voluntatis obligationem efformaret, putat imaginariam traditionem adhibitam ab eo, qui testabatur. Pace iterum Viri summi! Multum interest inter imaginariam traditionem, quae ficta est et simulata et Symbolicam quae veram indicat rei traditionem. Et si hanc admitto, non erat vnilateralis voluntas, sed cum adesset, cui symbolice hereditas tradebatur, consensus illius de accipienda illa adesse debebat, hinc pactum oriebatur, nunquam testamentum. Neque Textus ex antiquissimis Germanorum LLbus aliud quidquam probant, quippe, si ea exceperis, quae Romana admixta habent, de donatione seu *Thingatione* aliqua aut pacto interueniente quo bona et successio in alterum inter viuos transferebatur, loquuntur. Et id ipse SENCKENBERGIVS affirmat *cap. cit. §. 6. Non enim,*



enim, inquit, *verum testamentum solenne, sed negotium ab eo non multum diuersum, fictione absolutum.* Nego. Diuerso plane negotio non ficto, sed symbolico viui bona sua in alterum transferebant, pactoque adiecto sibi vsumfructum quousque viuere, retinebant. Probat id *LEX WISIGOTHICA* Regis Receswindi, quem in suam causam adducit *Seuckenbergius*, quae haec verba exhibet: *Qui sub hac conditione donat, ut eandem rem ipse, qui donat, usufructuario Iure possideat, est similitudo testamenti.* Negat Rex esse testamentum, sed affirmat *similitudinem* intercedere, quae in effectu posita erat, non in ipsa causa, quae longe diuersa erat a causa testamenti. Multo minus testamenta probant *LEGES RIPUARIORVM. Tit. 48. Si quis procreationem filiorum vel filiarum non habuerit, omnem facultatem suam in praesentia Regis, siue Vir mulieri, siue mulier viro, seu cuiuscunque liber, de Proximis vel extraneis adoptare in hereditatem* (quod consensu illius fieri debebat, qui in hereditatem adoptabatur) *vel adfatimi per scripturarum seriem* (Romanum exinde testamentum efformat, nec bene, maxime cum *BIGNONIUS* in *Not. ad L. Salic. p. 167.* probet, *adfatimum* notare donationem et verba per *scripturarum seriem* denotant, super illam donationem instrumentum confectum, et sic actum inter viuos denotabat) *seu per traditionem et testibus adhibitis secundum Legem Ripuariorum licentiam habeat.* Nulla ergo testamenti vera quaedam idea. Saltem ex his omnibus apparet, antiquissimis temporibus Germanorum incognita fuisse testamenta, donec quibusdam gentibus ex terris exoticis cognita fierent, atque demum in patriam nostram reciperentur.

## §. XI.

### *Vsus testamentorum in Germania.*

Frustraneum esset probare, populares nostros demum recepisse vsum testamentorum eumque ex peregrinis moribus



repetuisse. Docet experientia quotidiana, docent leges, docent innumerabilia superiorum temporum monumenta. Arbitror vero prius vsu innotuisse hanc iuris partem, post studiis Clericalibus commendatam, donec cognito atque recepto Iure Romano Romana quoque testamenta a Germanis condita coepta fuerunt, et adhuc conduntur. Neque tamen ita ius Romanum receptum, vt in omnibus causis et in omnibus locis, prouinciis, interque omnes populos eae quae in eo iure de testamentis continentur sanctiones, aequaliter valeant, sed arctissimis circumscripta est limitibus haec germanorum testamentifatio. Nihil addo de receptis in Germania testamentis deque restricto admodum illorum vsu. Satis dixit et dixit eleganter HEINECCIUS *Diss. de Testamenti factione iure Germanico arctis limitibus passim circumscripta.*

§. XII.

*Exemplum restrictionis.*

Inter innumerabiles illas species, quas Heineccius adducit quibus probari potest, quantum ab ipso iure recefferunt interdum populares nostri a Iuris Romani capitibus vnicam saltem, quae ad nostrum thema spectat, attingamus. Iure Romano et vbi nulli limites huic iuri in germania positi erant, testatori liberum est, an coram septem testibus rogatis siue in scriptis, siue nuncupando heredem sibi constituere velit, an vero publicum testamentum vel coram Principe, vel coram iudice condere velit. At in multis locis non aequae electio competit testatori, an solemniter testari velit, sed variorum locorum Statuta fanciunt, vt incolae *praesente tantum iudice* testentur. Ignorantur in iis solennia testamentorum, neque in iis locis quidquam autoritatis habebit Tabellionum fides. Causam addit HEINECCIUS *cit. Diss. §. 27. vt si forte male consulere posteritati decreuerint, magistratui sit occasio, iis meliora*



*meliora suadendi, partim ut compendium fiat tot litium, quae de solennitatibus testamentorum externis plerumque agitantur.* Non improbables quidem hae videntur causae, ac plures fuisse mihi persuadeo. Si rem accuratius perspicimus neque negari poterit, testamenta popularibus antea iam cognita fuisse, quam ipsum ius Romanum et reciperetur et solennia testamentorum ex eo germanis innotescerent. Dein inter maiores nostros plerumque iuris erat, ut bonorum translationes, si quae fierent, vel praesente Rege aut Comite vel iudice fierent de qua re egregie agit *SENKENBERGIVS cit. diss. Cap. III. §. 10.* Cum ergo innotesceret testamentorum usus atque maiores cernerent, translationem bonorum aliquam fieri in testamento, et Clerus in suam utilitatem testamenta commendaret, iudicis auctoritatem sequebantur condituri testamenta maxime cum primum solennia romana ignorarentur. Neque cum postea a Germanis haec iura apprehenderentur, solenniaque vltimarum voluntatum iis cognita efficerentur, opus videbatur, ut a suo semel recepto more recederent, cum ea ipsa peregrina iura non improbarent testamenta coram iudice facta. Ita publica illa testamenta non tantum servata usu, sed, cum in analogia iuris patrii rationem haberent comprobata, et tandem ne recepto illo nouo iure alii testandi modi reciperentur, ut ratio est multorum Statutorum, quae antiqua iura patria haud raro contra peregrina confirmant communi vniuersatis consensu, primum illum testandi modum coram iudice ita confirmarunt, ut in vrbibus nonnullis alia testamentorum solennia non admitterent. Quare etiam fit, ut ea potissimum Statuta, quae plurima ex antiquis patriae consuetudinibus iura retinuerunt et comprobantur, hoc testamentorum genus suis tantum ciuibus permitterent. Exemplo sint *STATVTA EVBECENSIA Lib. II. Tit. I. Art. 2.* quae in testamento nuncupatio nullam aliam fidem admittunt, quam publicam. Verba sunt:

VIX 2

C 3

Wenu



Wenn jemand ein mündlich Testament, Nuncupatum genannt, machen will, der soll es thun in Gegenwart zweyer Rathmännern, und wenn er solches vor Ihnen macht von seinem wohlgewonnenem Gute, so ist es beständig, als wenn Er ein Testament in scriptis gemacht hätte. Entstehet nun Irrung über diesem Testament, was alsdenn gemeldete Rathmännern, oder einer nach des andern Todt von dem Testatore eingenommen und gehdret hätten, bey ihrem Eyde aussagen würden, das alles soll kräftig und bey Macht bleiben: Kdute man aber so eilends die Raths Personen nicht haben, so kdnnen zweyne besessene Bürger ein solch Testament bezeugen, doch allein von zehen Mark Silber, darunter, und nicht darüber.

### §. XIII.

#### *Transitio ad Iura Lusatica.*

Possem non tantum alia statuta addere, quae iudicii auctenatus auctoritatem exigunt, quoties testamentum condendum est, verum etiam alias restrictiones afferre, quas testantium voluntates passae; sed mitto haec, magis de iis sollicitus, quae in Lusatia superiori antiquo vsu comprobata sunt. Nulla lex existit, quae cum semel in Germania testamenta essent recepta, Lusatis hanc de suis bonis disponendi licentiam eriperet. At restrictam et ipsis esse testandi facultatem ex variis Statutis urbium facile apparet. Haec ipsae restrictiones vel communes sunt ex reliquis patriae iuribus. v. c. ut neque de utensilibus neque de expeditoriis rebus disponere in testamento licitum sit, et alia; vel propriae, quo referendum, quod nemini liceat solenne coram septem testibus rogatis condere testamentum, et si condiderit, iuris obligationem haud producat. Quinque inter vrbes illas celebratissimas Lusatae superiores consentientes deprehendimus, vna est, quae non reprobatur solennia. Singularum ideo Statuta examinabimus.

### §. XIV.





## §. XIV.

*Generalia quaedam.*

Diximus in Lufaticis urbibus inualida esse testamenta quae propter iuris solemnitates alias civilem producant obligationem. Contra nulla ius in heredem transferunt testamenta, quam quae coram iudice aut Senatu facta. Ex antiquis iuribus et privilegiis hoc deducunt et STATUTA GORLICIENSIA maxime prouocant ad Privilegium a Rege *Ioanne* impetratum quod et adducunt STATUTA LAVBANIENSIA, vi cuius testamenta coram Magistratu condenda sunt. Coniicio caeteris quoque quinque urbibus hoc privilegium datum fuisse. Extat et aliud a Rege *Ladislao A. MCCCCXCVI*, confectum de eadem causa, quod integrum quantum necesse est, adscribamus.

## REGIS ULADISLAI PRIVILEGIUM

*De Confessione Testamentorum coram duobus e Consulatu  
et Notario aut etiam duobus civibus anno 1496.  
datum.*

Wladislaus Dei gratia Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc. Rex, Marchio Moraviae, Luzenburghensis et Slesiae Dux, Marchio Lusatiae etc.

**M**emoriae commendamus quibus expedit vniuersis. Quia intelleximus ciues incolas et habitatores Oppidi nostri Gorlitz in infirmitate constitutos, ac etiam alios per nonnullas personas plerumque non sine fraude et dolo ac frustra circumuentione haecenus ad testandum inductos esse ac etiam aliquando adhuc induci, debitis solemnitatibus inibi minime adhibitis in heredum ac alias legitime succedentium non modicum praedudicium: ita etiam, vt ipsae ecclesiasticae et aliae per-



personae se aliquando in executores testamentorum suae ultimarum voluntatum deputari procurent; --- Nos igitur fraudibus et dolis huiusmodi periculisque animarum obuiare, futurasque lites rixas et controuersias et errores praescindere volentes, supplicationibus humilibus dictorum ciuium, incolarum et habitatorum inclinati ipsis quoque ciuibus incolis et habitatoribus de competenti remedio prouidere cupientes hoc priuilegio perpetuis futuris temporibus ualituro autoritate Nostra Regia Regni Bohemiae decernimus, statuimus et ordinamus, maturo consilio et deliberatione praehabita ac ex certa nostra scientia. Quod in quibuscunque Testamentis Codicillis uel qualibet alia ultima uoluntate s. donatione causa mortis, aut relictis aut legatis quibuscunque etiam ad pias causas per Ciues habitantes dicti oppidi siue sanos siue in infirmitate constitutos nunc et pro tempore fiendis et ordinandis ad minus duo iurati ex Consulibus dicti oppidi nec non ipsorum Consulium Scriba s. Notarius etiam iuratus ad hoc rogati in maius robur et firmitatem praemissorum interesse debeant et teneantur. Alioquin testamenta, codicilli, ultimae uoluntates, institutiones heredum s. substitutiones uulgares s. pupillares donationes s. legata quaecunque aliter per quoscunque in dicto oppido ordinatae et institutae nullius penitus sint roboris uel momenti. Indulgemus etiam dictis ciuibus, inhabitatoribus, quod si praesumeretur aliquem testari uolentem contagioso morbo laborare quod ex tunc Pro-Consul dicti oppidi pro tempore existens possit et ualeat duos fide dignos ciues deputare ut testamento sic egrotantis intersint, ipsum audiant et acceptent ueramque relationem de testamento ipso ad consularum sub iuramento per ipsos Nobis et Consularum dicti oppidi praestito fideliter faciant, habeaturque Testamentum huiusmodi sic conditum et ordinatum idem robur eandemque uim et firmitatem quod et quam sicut promittitur coram duobus de Consularum et Notario



tario dicti oppidi factum fuisset, haberet et habere posset. Volentes autem Testamentum s. ultimas voluntates suas coram iudice nostro ac Scabinis in iudicio ibidem congregatis maiorem sollicitatem adhibendo facere et ordinare Testamenta s. ultimas, voluntates huiusmodi faciendi et ordinandi liberam habeant facultatem per praesentes. Volumus etiam vt Proconsul dicti oppidi cum adiunctis sibi consulibus diligenter respiciant et quantum possunt conentur atque sollicitent, vt Testamenta huiusmodi et vltimae voluntates sic vt praemittitur ordinatae et factae debitae executioni demandentur. Nolumus tamen clericis aut aliis personis ecclesiasticis in suis testamentis s. vltimis voluntatibus condendis siue ordinandis per praesentes in aliquo derogari. Etiam nolumus neque intendimus per huiusmodi nostras litteras statutis et aliis litteris ac Priuilegiis dicti oppidi per Nos aut Antecessores nostros, Imperatores Romanos et Reges Bohoemiae ac Duces Gorlicenses quo modo libet admissis concessis et indultis aliquatenus derogare, innouamus ea semper in suo robore et firmitate integra et illaesa permanere et conseruari in cuius rei testimonium fecimus has nostras sigilli nostri appensione communiri. Datum Budae duodecima mensis Maii Anno Domini Millesimo quadringentesimo nonagesimo sexto. Regnorum vero nostrorum Hungariae etc. Sexto, Bohaemiae Vigesimo quinto.

§. XV.

*Quid sanciant Statuta Budissensia.*

Videamus iam sanctiones singularum vrbium. Budissa suis ciuibus haud aliam quam publicam testandi formam permittit. Patet ex verbis STATVTI BVDISSENS. Tit. Von Testamenten, cuius haec verba: Demnach viel einfältige Leute, arme einfältige Wittfrauen, Weysen, in ihren Kranckheiten und sonsten offermals übereilet seyn worden,  
D  
ih



ihre Testament und letzten Willen dermaßen zu verordnen, dadurch denen Erben und Erbnehmen solch Geschäft nicht nur zu merklichen Schaden und Abbruch ihrer Erbschaft, sondern auch zu großen und langwierigen Gezäncke vielmals gerathen, Demselben fürzukommen, so ist geordnet, und statuiret, daß wer ein Testament oder Donation machen und aufrichten will, daß solches für dem Stadt-Richter und Schöppen, oder wen der Richter oder der Rath dazzu bestellet, soll geordnet und aufgerichtet werden, wo aber solches ander Gestalt vorgenommen, soll es kraftlos und nichtig seyn.

### §. XVI.

*Quid in Statuto Gorlicensi sancitum sit?*

Nihil a sensu Budissensis statui recedit STATUTUM GORLICENSIS. Tit. Von Testament, imo potius de utraque nuncupatiui cui oclusum opponit, testamentorum specie eandem dispositionem confirmat. Utrosque Titulos adscribamus, quo melius comparari inter se queant Statuta omnium sex urbium Lusatiae superioris primariarum. Sic est conceptus Tit. Vom Testamenten: Erstlich mag ein ieder ohne sondere Solemnität und Zierlichkeit des Rechts nach gemeinem Brauch der Stadt, wie bis anhero gehalten worden, Krafft König Joannis Privilegien sein Testament und letzten Willen für einen Schöppen oder Rathmann und Notario ordnen und setzen, jedoch dergestalt, daß er vermöglich und bedächtigt sey, daß er sein Gemüth und Beschluß mit klaren und verständlichen Worten ohne jemandes Erinnerung oder Suggestion selbst anzeigen und eröffnen möge, welches also halb durch den geschwornen Notarium, als in Gegenwart des Rathmannes oder Schöppen mit des Testatoris Willen, so viel sich leiden mag, ordentlich aufgeschrieben und ihm wieder soll vorgelesen werden mit Erinnerung ob es also recht und



und seines Gefallens begriffen sey oder nicht, und wäre etwas Mangels darinnen, soll es mit seinem Willen geändert und gebessert werden und ferner hernach mit der Publication, Insinuirung und Verschreibung desselben, wie für Alters herbracht und bis anhero in Uebung gehalten, auf E. C. Rath's Bestätigung auch nochmals gehalten werden. **Tit. Von verschlossnen Testamenten.** Nachdem auch der Testirer bisweilen aus vernünftigen Ursachen ungelegen seinen letzten Willen der Obrigkeit oder auch sonst publiciren zu lassen, der mag sein Testament Ordnung und Sagung, wie es mit seiner Verlässchafft nach seinem Tode wolle gehalten haben, mit eigener Hand schreiben, oder einen andern mit klaren deutlichen Worten schreiben lassen und dieselbige mit seinem eigenen oder eines andern Biedermanns Petschafft verschließen und für E. C. Rath bringen mit dieser klaren Vermeldung, daß er sein Testament und letzten Willen in diesen verschlossnen Brieffen verfaßt habe, hierauf mit Fleiß bittende, denselben hinter dem Rath bis nach seinem Tode zu verwahren und alsdenn seinen Erben und andern die es belangen möchte zu erkunden und zu erfahren, und darauf soll Ein Rath oder Gerichte nach genungamer Befragung des Testatoris, ob es also sein freyer ungezwungener Wille sey, das Testament aufnehmen und darauf den Nahmen des Testatoris Orth Zeit und Tag durch den geschwornen Schreiber verzeichnen lassen, wenn es eingelegt und angenommen sey, damit soll es authentisiret seyn, Krafft und Macht haben, als were es für gehogter Banck geschehen, oder aber mag darüber eine sonderliche Kundschafft verfertiget und das Testament eingeschlossen und besiegelt werden mit dieser Subscription daß diß des N. N. Testament sey, nach seinem Tode zu erdffnen. Davon mag der Testator eine Abschrift unter des Raths Insiegel nehmen. **Additio.** Nachdem es bis anhero stricte gehalten,



daß ein ieder Testator seinen verschloßenen letzten Willen in eigener Person hat übergeben müssen: Als ist heut per Decretum geschlossen, daß inskünfftige, wenn sich zutrüge daß einer ein verschloßen Testament machen wolle und dasselbe Leibes Schwachheit halber in eigner Person vor den Rath nicht bringen könnte, auf sein Ansuchen der Rathmann Schöppen und Notarium zu ihm abfertigen und das Testament annehmen lassen wolle, welches nachmals dem Rath vorgetragen und von ihme hintergelegt werden soll.

Nachdem auch für Alters herbracht und bis anhero gehalten, daß ein Mann oder Weib in Zeit der Noth oder Sterbensgefährlichkeit für den geschwornen Gasen-Meistern ihr Testament und letzten Willen hat aufrichten mögen, will es auch E. E. Rath nochmals bey solcher alten Gewohnheit verbleiben lassen, jedoch bescheidentlichen also, daß es auf Befehl des Bürgemeisters geschehe, auch solch Testament alsobald dem Rath fürgebracht und um Bestätigung gebeten werde.

### §. XVII.

#### *Argumentum Statuti Zittaviensis.*

Neque aliam testandi formam, quam publicam admittunt STATUTA ZITTAVIENSIA. Tit. IV. Von Testament zu machen, in quibus tamen id singulare est, quod arctius restricta sit hoc ipso Statuto testandi licentia, quippe testamento etiam publico vis negatur, nisi in eo quid ad causas pias atque ad communem urbis vtilitatem legatum sit. Facilia omnia erunt, si integra verba *dicti Tit.* adiciamus, vt appareat, quatenus cum Budissensi et Gorlicensi Statuto conspiret. Sic legitur: Es soll niemandes in Siech- oder Tod-Bette seinen Kindern oder nächsten Freunden das An-  
gefälle,



gefälle, daß sonst auf sie erstürbe in Zorn ohne gnugsamme Ursache entwenden, dann es oft aus bösen Angeben oder Vorsagen und Anweisungen, auch vielmal aus Thorheit geschieht, daß hernachmals denselbigen Leuten, wenn sie zur Gesundheit kommen und sich besinnen, wiederum leid wird. Und ob wohl in eines ieden Menschen freyen Willen stehet, Testament und letzten Willen zu machen, und auch zu widerrufen und zu verändern, wenn und wie oft es ihme gefällig; so soll doch derselbige Mensch, der also sein Testament und letzten Willen bey gesunden Leibe oder in Siech-Bette machen will, solches thun bey guter Vernunft mit wohlbedachten Mütze und mit Vorwissen eines E. Raths, in Gegenwartigkeit zweyer oder mehr hierzu von einem Rathe oder denen Gerichten erfordereten Personen.

Und erstlich bedencken, daß ein ieder vornehmlich verpflichtet und schuldig ist, Gottes Lob und Ehre auch gemeinen Nutz zu mehren und zu fördern. Denn was mag löblicher, auch Gott gefälliger oder gemeinen Nuzge forderlichen angelegt und dem Testamentmacher seeliger seyn, und länger im Gedächtniß der Menschen verbleiben, denn was zu Gottes Ehre, gemeinen Nuzen zu Erbauung Wege und Stege, auch zu Erhaltung Mauern, Thürme, Pforten, Gräben und Brücken, neben deme, das zu Gottes Dienst verordnet, bescheyden, berühmt und verschafft wird, welches alles dem Einwohnern der Stadt, geistlichen und weltlichen Personen, Arm und Reich zu Gute kommt, darunter Wittwen und Waisen beschützet und beschirmet, männiglich in guten Friede und Sicherheit erhalten wird. Und da nun ein solch Testament, wie obgemeldet, mit Bewust eines Ebl. Raths an kräftiger Gerichts-Stellen, oder in Siech-Bette, in Beyseyn zweyer des Raths oder der Gerichte hierzu abgefertigten



fertigten Personen unvergesen Gottes Lob und Ehre, auch des gemeinen Nutzens gemacht und geordnet wird, das soll beständig und kräftig seyn, und in allen seinen Puncten und Artikeln stet, vest und unverbrüchlich gehalten werden.

Was aber sonst vor Testamente gemacht werden ohne Vorwissen oder Beyseyn des Raths oder der Gerichte, darinnen Gottes Ehre und gemeinen Nutzens vergessen wird, die sollen keine Krafft noch Macht auch keinen Nahmen eines Testaments haben, sondern vor nichtig, krafftloß und unbindig angesehen und gehalten werden.

§. XVIII.

*Dispositio Statuti Laubanensis.*

Pergo iam ad LAUBANENSIA STATUTA in quibus *Cap. V. et VI.* prope eadem disposita sunt quae in *Gorlicensibus* antea exhibita, paucisque exceptis iisdem verbis leguntur. In Laubanensi enim haec a *Gorlicensi* est differentia, quod in hoc factis fit, si offeratur testamentum Scabino et Notario s. Actuario, s. uti erant verba: Einen Schdppen oder Rathmanne und dem Notario, contra *Laubanense* Statutum Iudicis adhuc praesentiam exigit, seu ut sunt verba: Vor dem Stadt-Richter, einen Schdppen und Notario. Dein *Gorlicense* si clausum iudici oblatum Nominis testatoris inscriptionem iniungit, vbi *Laubanense* accuratius sancit: Und darauf den Nahmen und Zunahmen des Testatoris etc. den geschwornen Schreiber verzeichnen lassen. Tandem nihil dispositum in *Laubanensi* de oblatione testamenti, si testator morbo impediatur, quo minus ipse iudici offerat, quod utique in *Gorlicensi* latius determinatum.

§. XIX.





## §. XIX.

*Sanctio Statuti Camentiensis.*

Sicuti haec Statuta quae attulimus in ea restrictione, ne alia quam publica testamenta fierent, recte conueniant, ita STATVTVM CAMENTIENSE Cap. XII. Von Testamenten, Donationibus und dergleichen recte cum reliquis conspirat, aliaque solennia testamenta improbat. Adponamus ipsa verba: Einen iedweden, dem es im Rechten nicht expresse verbotthen, ist zwar zugelassen, ein Testament zu machen, und seinen letzten Willen zu hinterlassen, wer aber ein Testament stifften und aufrichten will, soll solches vor denen allhiefigen Stadt=Gerichten, als vor welche dergleichen Verrichtungen, der von undenklicher Zeit eingeführten Gewohnheit nach eigentlich gehören, aufrichten, also daß er entweder selbstn vor Richter und Schöppen erscheine oder aber, wenn Er Leibes Unpäßlichkeit halben nicht ausgehen kann, dieselben zu sich in seine Behausung erfordern lasse, und ihnen seinen letzten Willen mit deutlichen und vernehmlichen Worten anzeige; Daferne aber einer oder der andere sein Testament oder letzten Willen auf eine andere Weise ohne deren Stadt=Gerichten Vorwissen und Erforderung, wieder die allhiefige Observanz, zu stifften sich unternehmen wird, so soll dasselbe ganz ungültig, nichtig und unkräftig seyn; und solchergestalt soll es auch mit den Schenkungen und dergleichen gehalten werden; Jedoch aber bleibt denen Eltern unbenommen, dispositiones inter liberos nach Belieben auch privatim zu verfertigen, und bey ihren Lebzeiten entweder Gerichtlich oder aber auch außer Gericht in ihren Häusern zu hinterlegen.

Wenn



Wenn einer in Sterbens-Läuſſten oder ſonſten Richter und Schöppen nicht erlangen könnte, ſo mag der Teſtirer ſeinen letzten Willen gegen zwey geſehene Bürger erſuchen, die denn ſchuldig ſeyn ſollen, ſolches denen Gerichten entweder alſobald, oder aber doch des nächſten Tages, als möglich vermittelſt Eydes zu hinterbringen und die Confirmation zu bitten.

§. XX.

*Statuti Loebaniensis diſſenſus.*

Tandem ab his quinque vrbium Statutis vnica vrbs Loebanium recedit. Equidem non improbat testamenta iudici oblata STATVTVM LOEBAVIENSE *in fin*, at ſi verba accuratius inſpicimus reliqua testamenta ſolemniter ordinata non videntur improbata. Docent hoc ipſa *Statuti* verba: Auch ſollen Aufſgaben und Teſtamente, ſo vor E. E. Rath, oder vor gehegten Dinge, oder ſonſt ordentlich geſchehen, von den Erben kräftig und unverbrüchlich gehalten werden.

Sed iam ſatis L. B. abusus patientia, quamuis varia adhuc monenda, tamen alii occaſioni haec relinquam

T A N T V M.



ULB Halle

3

005 039 703







979.

Vk  
1916

DISSERTATIO INAUGURALIS IURIDICA  
DE  
**T E S T A M E N T I S**  
SOLENNIBVS INVALIDIS  
EX STATVTORVM VRBIVM LVSATIAE  
SVPERIORIS CONSENSV  
Q V A M  
ILLVSTRIS ICTORVM LIPS. ORDINIS  
AVCTORITATE  
**PRO GRADV DOCTORIS**  
P V B L I C E  
T V E B I T V R  
**CAROLVS GOTTLOB COMPASS**  
BVDISSINENSIS

LIPSIAE D. XVIII. NOV. A. C. N. CIOIOCCCLXII

EX OFFICINA LANGENHEMIA.



R/K. 144, 31.

19.  
2,774.

